



Morandus à Brunn Basileæ à suis parētibus
 factum ut paulatim cum ætate sapientiam & pie-
 tatem imbiberet, atque inter ciues magnam sibi
 authoritatem compararet. Vnde in nobilium tri-
 bum ascitus, atq; in Senatum cooptatus fuit. Du-
 xerat is ex optima Scheckabürlinorum familia ho-
 nestam uxorem. Cum ea longo tempore honestè
 uixit, atque Reipublicæ negotia sibi commissa,
 summa dexteritate expediuit. In primis autem re-
 ligionem amauit, atque sacerdotes & doctos ui-
 ros in magno pretio habuit. Itaque cum sobole ca-
 reret, ex suis bonis pauperibus in Xenodochio
 prospexit, aliquot Ecclesiastica beneficia fundauit, atque honestum stipen-
 dium pro Theologiæ candidato ordinauit, & id Carthusianorum præfecto
 distribuendum commisit. Eo stipendio artium aliquis Magister per decen-
 niū liberaliter sustentatur, donec tandem altiorem Theologorum gradum
 nancisci queat. Id etiamnum in frequenti usu existens, uulgò ab authore Sti-
 pendium à Brunn nominatur. Vnde Morandus ille laudabili suo instituto ef-
 fecit, ut meritò inter illustres Germaniæ uiros connumeretur. Cum autem is
 inter ciues diu magna laude uixisset, ac sine prole obijisset, id quod ex bonis
 supererat, patruelibus suis legauit, atque testamenti sui executores constituit.
 Ex ea familia honesta matrona Anna de Brunn, Nicolai Brylingerii typogra-
 phi uxor prognata, præterea D. Bonauentura de Brunn, qui hodie Tribunū
 plebis adeoq; summum post consulem Magistratum, Basileæ magna gloria
 agit. Anon.